



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Martinianus C. 13. Feb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

13. Feb. VITÆ SANCTORUM. III
Christus induit. Hunc cum JULIA-
NUS transportatum foco fovisset rigen-
tem, mensâ esurientem, & suo lectulo
dormiturentem, ecce paricidii veniam
manifestus, vel dedit, vel olim datam
nuntiavit. Perrexit tamen ille operam
suam eò studiosius probare, quo hospiti-
bus nobilioribus jam frequentari ædes
videbat. Ex Petr. de Natal.

*Ille viam Domino suo parat, qui luxu-
riantis carnis respuens voluptates, tota
mentis suæ spiritu suspensus ad Deum vi-
gore se castitatis accingi: optimam parat
Domino viam qui cogitationes suas avari-
tæ fluctibus æstuentes serenæ conscientia
tranquillitate compescit. S. Max. hom. de
S. Joan.*

S. MARTINIANUS C. 13. Feb.

Vitam solam MARTINIANUS agere
cœpit octo & decem annorum ado-
lescens. Dæmon malus ejecturus statio-
ne suâ militem, veteris serpentis exuvias
induit. Sed nihil nisi risum retulit, quo
meritò humi eum reperere post casum
tam altum dixit. Quid ageret victus
serpens? ut virum decipiat, iterum mu-
licrem subornat. Adest hæc panniculis
involuta, & velut à viâ exerrasset, ma-
gnis ejulatibus, ne in pabulum feris ce-
dat, id noctis hospitium orat; aperit
MARTINIANUS à feris feminam
defen-

112 VITÆ SANCTORUM. 13. Fo
defensurus, se lupæ objecturus; peni-
terioribus tamen adytis clausus pernoctat.
Sed manè mulierem ecce tibi mundo
omni ad miraculum superbam! Videt
hanc, & basiliscum videt. Audit, & Si-
renem audit, & dæmonis victorem pa-
nè mulier vincit. Experrectus tamen ve-
luti à somno ignes fecit ingentes, pedi-
busque insultans, age dixit, lubeat pec-
care, si vel has flammæ lubet ferre. Ex-
tinxit hic rogos Veneris ardorem, tuum
præcipuè cum lacrimas meretricula et-
jam, damnatâ jam Venere, affudit. Cæ-
terum MARTINIANUS in rupem
medio mari eminentem secessit. Hic
quoque dum Charybdim fugit, in Scyl-
lam minimo minus incidit, & Venerem
planè regnare in mari discit. Ecce enim
naufraga puella, & ad perniciem oculo-
rum pulchra in rupem enatat. Hic Verò
MARTINIANUS ignes præventurus in
mare se abjicit. Quid expectas, lector?
Delphines tergo excipiunt, & littori sal-
vum reddunt. Vides, puto, nunc, quid
in homine hi ament. *Ex Metaphr.*

*Multi Diaboli fluctus sunt in hoc mundo,
tentationum multa naufragia; à quibus ita
liberari possumus, si clamantibus manum
suam Salvator extenderit: Nos ergo clama-
re ad Dominum non cessemus, ille auxilium
solitum non negabit. S. Maxim. hom.
Hyem. ult.*

S. JOB-